

Pra. 13. num. 19.

Num

1772. 21

*Litis Contestatio semper malam fidem³
inducat?*

*ex sententia ICti Pauli
in L. 40. pr. D. de Hered. Petit.*

A D

COMMILITONES HONORATISSIMOS

A

*IOANNE MELCHIORE GOTTLIEB
BESEKE*

I. V. AC PHIL. D. REGIAE SOCIET. VIADR. SODALI.



HALAE

OFFICINA HENDELIANA.

JOVANNI NICHOIRE GOTTLIEB
BLASER

COMMITTEE'S HONORABLES

2010

ANNA MARIA KLEIN



§. I.

Instituti ratio.

Nulla sane Iuris Romani capita elegantioris scholæ ICtos magis agitarunt, et ob innumerabiles difficultates, quae vbique latent, recte possunt, quam doctrina de restituzione a bonae fidei possessore facienda rerum hereditiarum possessorum, de initio et effectibus malae fidei, et de modo computandi, quatenus is, qui possidet, locupletior factus sit, vt plura taceam. Omnes haec quaestiones potissimum occasione hereditatis petitionis, moueri solent, et exponi; sed in quantum plurima, quae hucusque a Doctissimis quibuscumque tradita sunt, argumentis contrariis, non anxie excogitatis, in dubium vocari possint, is iudex sit, quem nec solidioris Iuris Scientia, nec ipsarum legum notitia fugit. Ut autem ad fontem illarum ipsarum quaestzionum recedamus, omnes ex SCto ad diui Hadriani orationem *de accessionibus fructibusque hereditatis*, et pecunia ex hereditate redacta, a. Chr. CXXIX. cost. P. Iuuentio Celsus II. et Q. Iulio Balbo, facto, descendisse video, ut integrum exstat in l. 20. §. 6. D. de her. pet. Multo studio Vlpianus et Paulus ad illud commentati sunt, ita ut plurimum hac in re ipsis debeamus; sed tamen negari non potest, in ipsa illorum explicatione adhuc deprehendi multa, quae tum obscura, tum ambigua videntur. Operae itaque pretium esset, fusiori

A

tracta-

tractatu ipsum SCtum explanare, et opus ab Heinuccio in Historia Edicti p. 429. in opusc. post. magna laude suscepsum perficere. Non desuerunt quidem ICti, qui edictum hoc explicarent, sed, vti Heinuccio placuit, illi plus fere chartae, quam ipsi editio de hereditatis petitione impenderunt. Nos in vnico illo haereamus, videamusque, a quoniam tempore is, qui bona fide hereditatem possidet, locupletior factus censendus sit? quaestione hac decisa, altera iam patebit; a quoniam tempore ex b. f. possessore fiat m. f. possessor, nisi illam ex hac fluere dicas. Decisionem motae quaestionis prioris in l. 40. pr. D. her. pet. deprehendimus, qua exposita, simul grauiora facilitiori modo decidenda venient.

§. 2.

Verba legis explicandae, sensusque historicus ac grammaticus.

Continet lex nostra partem orationis D. Hadriani, sine dubio SCti illius, in l. 20. h. t. comprehensi, gratia in senatu recitaram, cuius tenorem ostendere sibi proposuit Paulus. Verba legis, ad quam disputatio nostro pertinebit, sunt haec:

Illud quoque quod in oratione Divi Hadriani est, ut post acceptum iudicium actori praesetur, quod habiturus esset, si eo tempore, quo petit, restituta esset hereditas, interdum durum est: quid enim si post item contestatam mancipia, aut iumenta, aut pecora deperierint? damnari debebit secundum verba orationis: quia potuit petitor, restituta hereditate, distractisse ea. Et hoc iustum esse in specialibus petitionibus Proculo placet; Cassius contra sensit. In praedonis persona Proculus recte existimat: in bonae fidei possessoribus Cassius. Nec enim debet possessor aut mortalitatem Praestare, aut propter metum huius periculi indefensum ius suum relinquare;

Iam

Iam inter Proculum et Cassium, ICtos sui temporis celeberrimos
et capita familiarum Proculeianorum et Cassianorum, magno feruo-
re agitatum fuisse videtur; *vtrum in restituenda hereditate ad
tempus mortae actionis, an potius ad tempus rei iudicatae viden-
dum sit?* prius contendit Proculus, posterius Cassii sententia fuit.
Dissidium hoc usque ad D. Hadrianum pertinuisse, atque per
orationem et subsecutum SCtum demum finitum esse, proxime
veritati accedit. Sensus autem orationis huius est: hereditatis pos-
sessor omnia ea peritiori restituere debet, quae restituenda fuissent,
si hereditas tempore litis contestationis restituta esset. Quod ad-
modum durum interdum deprehendit Paulus, si v. c. post. L. C.
res deperierint. Proculo placuit, iustum esse, possessorem dam-
nari ad praestationem aestimationis, Cassius contra negauit. Ora-
tio Hadrianea — Proculi sententiam amplectitur; Paulus vero ali-
ter interpretatur summa cum aequitate, dum ita distinguit. Is
a quo hereditas perficitur, aut est praedo, aut b. f. possessor. Om-
nes ii scil. qui non sunt praedones, b. f. possessores vocantur.
De praedonibus aperte in l. 40. pr. l. 25. §. 2. D. de her. pet.
statuitur.

SCtum istud quidem hereditatum publicarum caussa h. e. quae si-
co cedunt, factum esse apparet, sed ex ICtorum Vlpiani, et Pauli
interpretationibus etiam ad hereditates priuatas extensum est, quo
iure etiam nos utimur. l. 20. §. 9. h. t.

§. 3.

Definitio praedonis ex l. 25. §. 3. b. t. desumpta.

Antequam autem institutum nostrum persequamur, no-
strum erit, ostendere, quis praedo, quis vero b. f. possessor voce-
tur. Primo de *praedone*. Vlpianus definitionem satis claram ex-

A 2

hibuit

hibuit in l. 25. §. 3 h. t. *is nempe praedo est, qui cum sciret, ad se non pertinere hereditatem, bona invasit, cum tamen nullam caussam haberet possidendi; sed tamen ob subsequentia dupli modo accipiendus est praedo:* 1) *is qui cum sciret, ad se non pertinere hereditatem bona invasit, scilicet cum nullam caussam haberet possidendi d. l. §. 3. h. e.* qui ab initio mente praedonis res hereditarias apprehendit. 2) *is, qui quidem ab initio caussam habuit adipiscendae possessionis postea vero conscientius, ad se nihil hereditatem pertinere, praedonio more versari coepit.* Quamuis de hoc posteriori nihil Senatus loqui videatur, tamen ab Vlpiano ita extenditur, *quia parui refert, ab initio quis dolose in hereditate fit versatus, an postea hoc facere cooperit.* d. l. §. 5. In illo, vii Vlpianus pergit, dolus est praeteritus, in hoc vero dolus subsequens, quia conscientius, rem alienam possidere, non statim restituit; ita enim accipiendum esse §. 7. d. l. puto.

Alias v. c. in materia de usucacione m. f. possessor a praedone discrepat, ita ut praedoni omnis titulus desit, quod in priori fecus. Hoc in easu m. f. possessor recte praedo appellatur, nam qui pro possessohereditatem possidet non habet titulum l. 24. h. t. qui scilicet descendere debuisset vel ex testamento, vel ab intestato, quod locum non habet in invasore hereditatis, aut in facto errante subueniente conscientia de fallitate facti per controverson motam.

§. 400. *Inde colligitur Vlpiani sententia; utrum L. C. ex b. f. possessore fiat m. f. possessor.*

Iam oritur quaestio, an ex mente Vlpiani omnis possessor, licet bona fidei, post item contestatam malae fidei possessor eveneriat. Omnes fere ex dicto §. 7. l. c. hoc colligere volunt, sed ego

ego non video, quomodo sequatur. At Vlpianus expresse, *post litem contestatam*, inquit, *omnes incipiunt m. f. possessores esse quin imo post controversiam motam.* Sed ipse Vlpianus hoc restringit ad eos possessores, qui in facto, non vero qui in iure errarunt; non enim errorem iuris nocere contendit Vlpianus, modo dolo careat, quod ex verbis SCri ita probat, ut quasi praedones eiusmodi possessores post litem contestatam, quia in facto errarunt spectentur §. 6. in f. et §. 7. l. c. Quapropter ex mente Vlpiani distingendum est sequenti modo:

Is qui hereditatem possidet

vel scivit, hereditatem ad se non pertinere, et tamen inuasit	vel nesciuit
hic <i>praedo</i> censendus est tam ante L. C. quam post L. C. sec. §. 2. l. c.	<i>I. ex errore facti</i> <i>I. ex errore iuris</i> <i>hic spectatur</i> <i>non pro praedo-</i> <i>ne habendus est</i>
<i>I. ante litem cont.</i>	<i>post L. C. §. 6.</i>
non est <i>praedo</i> sed b. f. poss. §. 5.	a tempore scientiae, rem alienam esse, si <i>praedo</i> f. <i>praedonio more ver-</i> fari incipit. §. 5.

§. 5.

Definitio b. f. possessoris; et explicatio l. 25. §. 11.

Alia vero quaestio monetur, quis b. f. possessor vocari possit? Et responsio ex lege 25. patet, requisita b. f. possessoris esse,

- 1) nisi inuaserit hereditatem, quam ad se non pertinere sciuerit,
- 2) nisi ex errore facti hereditatem possideat, et lite contestata, quin imo controversia mota conscient fiat, alienam esse hereditatem.

Ceteros omnes b. f. possessores esse, siue in iure errauerint, siue non. Vtrum autem in iure errauerint, ne prius dici potest, quam re iudicata; ideoque bonae f. possessorem talem manere vsque ad rem iudicatam, ex ipsa hac lege facillimo modo sequitur.

Conspicua de possessoribus §. 6.

Quod continuatur.

His positis fundamentis, pergit Vlpianus in §. II. etiam de b. f. possessoribus loqui, in quibus plane aliam rationem ponendam esse censet, quam in iis, de quibus in prioribus §§. locutus est. *B. f. possessoribus*, inquit, *consuluit SCrum*, *ne in totum damno adsciantur* (sicuti praedones, aut qui praedonio more versari coeperunt) *sed in id duntaxat teneantur*, *in quo locupletiores facti sunt*; *quemcunque igitur sumtum fecerit etc. non praestabunt*. Neque vero in his b. f. possessoribus distinctio admitti potest, vtrum ante L. C. re sua abusi fuerint, an post L. C. absolute enim, sine ullo discrimine, loquitur Vlpianus, dum de plane diuerso possessorum genere hoc §. II. differere incipit, et prioribus contradistinxit. Quapropter hos b. f. possessores nihil praeferre debere contendit, quia re sua (ex orrore iuris) abuti arbitrabantur, nisi quatenus locupletiores facti fuerint. Apparet inde, si de restitutione rerum hereditiarum quaeritur, sic distinguendum esse

qui

qui hereditatem restituere tenetur

fuit m. f. poss.	b. f. poss.
praedo in sensu, quo (§. 3.) a no- bis explicatum est omnia et res et fructus praestare debet, tam ante, quam post L. C. perceptos et per- cipiendos.	praedo ob subuentem scientiam commissi erro- ris facti omnia et res et fructus praestare debet, sed fol- lummodo quos percipit, vel percipere potuerit post L. C. imo quando- que post controversiam motam h. e. a termino scientiae, quae inde a tempore motae contro- uersiae incoepisse prae- mitur.
	b. f. poss. qui in facto errauit ante L. C. resti- tuit, quatenus locupletior fu- erit ante rem iudi- catam restituit, quatenus locu- pletior factus est l. 20 §. 6. l. 22. h. t. sed de hoc in sequentibus.

§. 7.

Cui explicationi obstat videtur l. 20. §. II. quod vero resolutur.

Huic legis explicationi aliis Vlpianeus textus in l. 20. §. II. directe contrarius esse, nonnullis videri potest, sed mihi non videtur. Cum enim absurdum esset contendere, Vlpianum sibi ipsi contradicere, quod tamen sequeretur, si l. 25. sumeretur, ut a nobis explicata est ac debuit, et l. 20. §. II. absolute, sine ylla restrictione intelligeretur, necesse est, ut modum conciliandi inueniamus, salua explicatione nostra de l. 25. data. Quinam autem modus facilior erit, quam euidentissimis ex rationibus assu-
mere l. 20. §. II. se referre ad l. 25. Ambae enim partes eius-
dem commentarii Vlpianei ad SCtum sunt, ita tamen, ut l. 25.
legi 20. §. II. praecedere debeat, quod ex SCti punctis sole cla-
rius est, ypho 6. legis 20. collato cum ypho 2. legis 25. Nihil ergo contradictionis obuenire potest, nec dubium timemus, quod in l. 20. §. II. absolute de omnibus possessoribus oratio sit, a qui-
bus

bus hereditas peritur; hoc enim corruit, simulac prius legere velis l. 25. quam §. 11. legis 20.

§. 8.

Aliud dubium ex l. 20. §. 12. refellitur.

Nouum tamen exsurgere potest dubium ex l. 20. §. 12. vbi Vlpianus expresse declarat, se de b. f. possessoribus loqui. Sed nec vires nostras frangit, verba enim sunt sumenda pro substrata materia. Hic enim generali termino omnes b. f. possessores nominat, qui se heredes existimarent, nec distinguendum esse opus censem, vtrum ex errore facti, an ex errore iuris hoc credant, quod tamen in l. 25. disertis verbis ab Vlpiano fit, quia de quantitate restituendarum rerum ibi loquitur, in hac vero lege oratio est, de modo restituendi tum obtinente, cum quis res hereditarias, de quarum repetitione lis mota est lite pendente possidere desierit. Vi huius legis igitur distinguendum est.

Is, qui res hereditarias possidere desit

b. f. possessor h. e. se heredem esse existimauit	m. f. possessor s. praedo
ante l. C. s. ante petitam hereditatem possidere desit	sive ante sive post petitam hereditatem possidere desit semper polo desit possidere, et res ipsae cum omnibus fructibus in hereditaris petitionem veniunt
de hoc in l. 20. nihil statuitur, sed vid. l. 25. §. 11. si tamen aliquid restituendum venit, quia haec lex ex l. 25. ex petuum rerum, quod exstar plicanda est, sic porro dist. iustificat.	§. 12. l. c. nisi forte distractio illarum rerum necessaria fuerit. §. 16. l. c.

in facto errauit

a temp. scientiae pro m. f. possesso re habetur, et ipfas res, imo et fructus praefare tenetur. l. 20. §. 12. et §. 11. pr. vſtarue debentur. l. 23. §. 1. l. 48. §. 1. D. de acquir. rer. dom. nisi forte distractio illarum rerum necessaria fuerit §. 16. l. c.

in iure

vid. l. 25. §. 11. et l. 36. §. 4.
l. 40. §. 1. h. t. de quo agemus

—

§. 9.

Ex hucusque dictis iam satis apparere crediderim, non semper *L. C.* malam fidem inducere, sed tantummodo cum bac limitatione, si possessor b. f. ex errore facti se heredem esse, existimatuerit. Quodsi vero haec tenus tradita nondum sufficienter, grauioribus argumentis ex l. 40. pr. quem explicandum nobis sumsimus, vtamur. Aut enim scripturae vitium in l. 36. §. 4. h. t. occurrit, aut Paulus directe Vlpiano contradixit; utrumque falsum esse contendere volumus.

Etiam si veram antinomiam inter l. 36. §. 4. et l. 25. §. 7. adesse cederem, tamen si modo chronologia legum aliquid in interpretando efficeret, Pauli sententia tamquam recentioris ICti praferenda esset. Sed non opus est hac artificiosa interpretatione, et alio modo videbimus.

§. 10.

Explicatio legis 40. D. de her. pet.

ICtus Paulus in dicta lege durum esse contendit, si oratio D. Hadriani de quolibet possessore hereditatis, a quo hereditas petitur, intelligatur, ideoque cum restrictione accipiendam et interpretandam esse de m. f. possessore, L vti Paulo placuit, de praedone. In praedone iustam esse restitutionem rerum, casu deperditarum, in b. f. possessore vero iniustam censet, quia mortalitatem non debet praestare, nec ius suum indefensum relinquere. Ex posterioribus his verbis, omnis mens Pauli facilissimo modo erui determinarique potest, quod scil. eos b. f. possessores intelligat, qui possidendi ius habere credunt h. e. qui *in errore iuris* versantur. Vnde apparet, eodem modo, quo Vlpianus, discrimen statuisse Paulum in hereditatis possessoribus, ideoque etiam confor-

B

miter

miter ambo explicandi sunt, nullis relictis difficultatibus, quod me posse, credo. Paulus distingendo sic orationem interpretatur:

Si de quantitate rerum hereditiarum restituendarum quaeritur

P offessor

I. est m. f. possessor, quem generali termino praedonem vocat, sub quo nomine intelligitur, tum qui ante L. C. dolo possidet, tum qui post L. C. se hereditatem alienam possidere, scire incipit

Sententiam Procul amplectitur, omnia restitui debere, quae tempore iudicij accepti restituenda fuissent, hinc culpa facta desperita sit; potuisse enim peritor, perita hereditate distracta esse ea.

I. b. f. possessor

Cassii sententia Paulo placet,
sed distingue

caſu deperditae ſunt
res

expressis verbis di-
cir — non debet
mortalitam̄
præſtare.

culpa

de hoc nihil in hac lege sta-
tuitur, et maxime videtur
hanc a b. f. possellore com-
mitti non posse, quia iure
suo vii cenſet, et de hoc per-
fusus, ius ſuum non inde-
fenſum relinquit h. e. in
iudicio persequitur.

§. II.

De initio malae fidei in b. f. possellore.

Iam videamus, a quo tempore b. f. possessor h. e. qui ius ſuum, quod habere credit, non indefensum relinquit, malae fidei possellor esse incipiat.

1) non tempore petita hereditatis — quia etiam hoc tempore iure ſe possidere credit, et recte, nam per ſolam actionem, de re quadam, motam, cuius possellorem iusto titulo me eſſe credo, non incipio ſcriſſe, h. e. conſcius, persuasus eſſe, me alienam rem possidere.

2) non tempore iudicij accepti ſi litis confeſſatae. Nam per litis confeſſationem quaeftiōnes facti potiſſimum determinantur, nec error iuriſ in quo forſitan verſor, nondum ex hac apparet; ideoque etiam lite confeſſata iure possidere perſeuero, timidique

et

et abieicti hominis esset, iuris sui absque vila defensione perse-
cutionem derelinquere.

Sequitur inde nullum aliud tempus superesse, quo in malam fidem
constituar, quam tempus rei iudicatae, inde a quo demum conscius
fio, me non iure possidere, ideoq[ue] ab hoc tempore m. f. posse-
sor sio, et hereditarem restituere debo.

Quodsi velis contendere, omnem b. f. possessorem, post L. C. imo
post contiouersiam motam, m. f. possessorem cuenire, nonne absurdum
ab Vlpiano adiecta foret ratio = coepit enim scire, rem ad se non per-
tinentem possidere se li, qui interpellatur. Quiaero ex te, an vnuquam
is, qui iniure se fundat, per interpellationem incipiat scire, se rem alie-
nam possidere? Nullo modo haec magni Vlpianus esse potest, sed qui
aliena docet, aut falsi Vlpianum accusat, aut ipse errat. Quapropter
cessante caussa, cessare, etiam debent effectus malae fidei, et de resti-
tutione rerum, a b. f. possessore possessorum, saniora statuenda sunt,

§. 12.

De restitutione a m. f. possessore facienda.

Sed quaeritur, quid et quantum restitui debeat? Distinguue
inter praedonem et b. f. possessorem. Praedo h. e.

1) is, qui bona, que ad se non pertinere sciret, inuasit, restituere
debet ipsas res cum fructibus perceptis et percipiendis l. 40. §. 1.
l. 25. §. 4. siue ante, siue post item contestaram. Si autem ipsae

res praestari nequeant, aestimatio cum usuris praestanda est.
Attamen si petitoris interest, electio competit, virum rem ipsam
cum fructibus, an pretium cum usuris petere velit. l. 20. §. 12.

2) is, qui ex errore facti hereditatem possidet, antequam lis con-
testetur, inscius, se alienam rem possidere, fructus tanquam b.
f. possessor suos facit, et si quid dilapidauerit, tanquam de suo
dilapidauit; post item vero contestatam cessar error facti, in

quo ius suum fundavit, et praedonio more versari incipit, ideoque praedoni in omnibus exaequatur, et valet quod (nro. 1.) dictum, et l. 25. §. 7. in hoc enim est dolus superueniens et praefens. Si igitur aliquid possidere desierit, semper dolo desit, et condemnandus est, quasi possideret. l. 25. §. 8. h. e. ipsas res praestare debet, salua tamen electione petitoris l. 20. §. 12. in f. imo et casum, l. 40. pr. h. t. sec. verba – *in praedonis persona Proculus recte exigitat.*

§. 13. *In loco apud b. o. et c. de*

De restitutione a b. f. possessore factenda.

Bonae fidei possessor vero, h. e. qui iure possidere credit, ne prius b. f. possessor esse definit, nec per rerum naturam potest, quam per rem iudicatam, ideoque in hoc restitutio sic procedit.
1) omnes fructus suos facit, tam ante, quam post item contestatam; nam iure suo vivitur.

- 2) ante rem iudicaram de rebus hereditariis, quae ab aduersario petuntur, tanquam de suis disponit, dilapidat, perdit, donat, modo sine dolo eius id accidit, quo in casu absolui debet ex mente Caii l. 41. pr. h. t. Attamen cautelae loco, quia postea a petitore actio de dolo contra eum moueri potest, suadendum est, ne indistincte res hereditarias possidere definat, et potius apud sequestrem deponat.
- 3) post rem iudicatam vero et hic quoque praedonio more versari incipit, et condemnatur, ut praedo.

§. 14. *In loco apud b. o. et c. de*

Finge igitur, aliquem hereditatem possidere, qui, in testamento se heredem institutum esse, credit, licet non est, in errore facti versabitur, qui euanscitur, simulac verus heres controvensionem mouet, sequi verum heredem esse et institutum productio te-

sta-

stamento contendit. A tempore igitur huius scientiae incipit praedonio more versari, et valent, quae de m. f. possessore in antecedentibus dicta sunt. Quodsi vero aliquis hereditatem possider, quia in testamento se fundat, in quo heres est institutus, aut in iure succedendi ab intestato, alias vero, potiori iure uti posse se credens, controuersiam mouet, et iudicium accipit, nondum extinctum erit ius, sed tum demum, si per rem iudicatam testamentum, ut inutile reicitur. A tempore rei iudicatae igitur incipiet scire, se rem alienam possidere, et praedonio more versari. Exemplum vide in Edicto Carboniano.

§. 15.

De quantitate restituenda. Videndum, quantum peruenierit.

Sin autem quaeritur, quantum restituendum sit, re iudicata; Respondeatur, in quantum locupletior factus, l. 40. §. 1. l. 36. §. 4. l. 23. pr. l. 20. §. 11. assentit Gothofred. in not. ad l. 25. §. 11. Quomodo hoc computandum sit, videamus. In genere eatenus b. f. possessor locupletior factus esse dicitur, eatenus ex re possessa ad illum aliquid peruenit. Verbum peruenire ambiguum esse, ipse Ulpianus ostendit, et multis diuersisque in locis eius explicationem suscepit, ut videre poteris in l. 23. pr. ff. h. t. l. 2. §. 3. ff. de her. l. act. vend. Pomponius in l. 171. ff. de V. S. Paulus in l. 17. ff. quod metus caussa. Ex quibus locis apparet, peruenire idem esse, ac facultatem de re illa disponendi, nancisci. Ad b. f. possessorem itaque res peruenit, eatenus facultatem de illa re naclus est, sive, eatenus possessor in sensu iuris ciuilis factus est. Quod autem semel peruenit, id semper peruenisse praesumitur, et venit in hereditatis petitionem, quod vide sis in legibus cataris. Nuda rei derentio autem non sufficit,

quae physicam solummodo dat facultatem disponendi, nec quicquam tribuit, si iuris quaestio mouetur. Si vero id, quod peruenisse dicitur, ad id refertur, cuius respectu aliquis locupletior factus est, peruenisse plus inuoluit, quam locupletiorem factum esse, ita ut ad aliquem peruenisse aliquid dicatur, licet non locupletior factus sit. Ponamus scilicet aliquem rem, sub hereditate comprehensam, alteri donasse, res ista peruenit quidem, sed donans non est locupletior factus, e contra, si quis rem hereditariam adeo vilem pro magno pretio vendidit, ad illum et res illa vilis et magnum premium peruenisse dicetur, simulque locupletior factus est, quatenus nempe premium aut veram rei aestimationem superat, aut solummodo aliquantulum pretii exstat.

§ 16.
Videndum etiam, quatenus locupletior factus sit.
 Iam facili negotio nos expediemus in eruenda notionē locupletis. In hoc nempe non spectatur solummodo id, quod prima ratione fuit, sed et id quod durat, et hoc potissimum sec. l. 23. pr. D. herpet: optime. Vlpianus rem explicat in l. 25. §. ix. D. h. t. quemcumque sicutum fecerit b. f. possessor, inquit, ex hereditate, si quid dilapidauerint, perdidierint, dum res sua se abuti putant, non praestabant: uero si donauerint, locupletiores facti videbuntur, quoniam ad rem munerandum sibi aliquem naturaliter obligauerunt: planie si ~~aut~~ ^{aut} i.e. remunerationes acceperunt: dicendum est, eatenac locupletiores factos, quatenus acceperunt: velut genus quoddam hoc esset permutationis. l. 18. D. quod metus caussa. Ex quibus locis apparet, aliquem eatenac esse locupletiorem, quatenus augmentum in complexu rerum possessarum adest, sine hoc augmentum in ipsis rebus, aut in illarum prelio positum, hoc nihil interest.

Hanc

Hanc ob causam fructus extantes, fructus ciuiliter consumti, rerum ipsarum substantia, pretium quoque locupletiorem aliquem efficient. Si igitur quaeritur, quantum restituи debeat a b. f. possessore hereditatis, iam clarum est et aperte in l. 25. §. 11. l. 23. pr. l. 40. §. 1. l. 36. §. 4. D. de hered. pet. scriptum – eatenus teneri b. f. possessorem, quatenus locupletior factus. Quomodo vero computandum sit, ex ante dictis pater, quod b. f. possessor nempe ipsas res hereditarias, quatenus extant, fructus tum extantes, tum ciuiliter consumtos praestare debeat.

§. 17.

A quoniam tempore quis locupletior dicatur.

Alia plane quaestio est, a quoniam tempore hoc computandum sit? Et ego didici, distinctius rem ita tractandam esse.

Is igitur, qui hereditatem restituere debet

vel est m. f. possessor

vel b. f. possessor

est praedo ab initio ob dolum praeteritum
non quæstio
non moriri potest,
an locupletior factus sit, quia
omnia reficiuntur debet,
nec quicquam lucratur.

talis, qui praedonio more versari incipit h. e. possessor ex errore facti in genere per litis contest. quandoque adeo l. ex praefumtione per controversiam motam.

a tempore rei iudicatae locupletior factus censetur l. 36. §. 4. Gothofredus in not. ad l. 25. §. 11. ff. de hered. pet. Cuius familes casus habemus, a Iulia no scilicet notatum in l. 25. §. vlt. ff. de viris, et in Tit. ff. de Carboniano edito.

§. 18.

Inde Argumentum construiur.

Iam nouum illud argumentum quod ex l. 40. pr. elicere volui. mus, est sequens: *Si b. f. possessor ea tantummodo restituere tenetur, intuitu quorum tempore rei iudicatae locupletior factus censetur, necesse*

cesseret, ut in b. f. possidente initium malae fidei in tempore rei iudicatae ponendum sit; non autem, ut quidam indiscretè admittere volunt, tempore litis contestationis, aut adeo motae controversiae. Prius verum esse, iam satis ex antecedentibus, imprimisque ex legibus allegatis, potissimum vero ex l. 36. §. 4. D. de her. pet. apparet. Consequentiam autem legitimam esse, nemo dubitabit, cum ratio concludendi a causa ad effectus non plane ignota est.

corridore molle m. 2. §. 19.

Quae hucusque pertractata sunt, ut eo facilius perspici possint, eorumque usus appareat, sequenti schemate tradamus.

		Possessor rerum hereditiarum				
		vel ex iuinatione possidet	vel non		b. f. possessor	
prædo	f. m. f. possessor					
in hoc si de restitutio-	de quantitate	de qualitate	de tempore	de restitutio-	de tempore	de restitutio-
n illarum rerum quaeritur	omnia, que	reficiuntur	initii m. f.	ne	initii mal. fid.	ne ab illo fa-
	ad illum per-		tempore L.		tempore rei	cienda
venerunt et	ad res ipsas	ad fructus	C. aut adeo, in hac respi-	indicatae fit	quia non de	
peruenire po-	per substancias		& ob præciendum est	m. t. poss.	tempore L.C.	
tuissent, resti-	tum perce-	sumptionem ad diversa			qui non potest,	
tuere debet,	ipsas res, non	pros sum per-	tempore tem temporis		videndum est	
omniaque da-	pro suo arbitri-	cipiendo re-	controversia		ad tempus rei	
mina relaci-	o trium pretium,	stitue et tene-	motae fit in		indicatae	
re, etiam mor-	restituire de-	tur l. 20. l. 25.	f. possessor.			
talitatem pre-	bet; modo		& quidem			
stare l. 40. ff.	petit ori	ante L. C.		ante rem iudicatam	post rem	
her. pet. l. 20.	competit ele-		post L. C.		iudicatam	
l. 25. cod.	ctio. l. 20. §.	solummodo		quoslibet fructus		
	12. l. 25. §. 11.	quatenus	praedoni a-	percipiendo suos fa-		
		locupletior factus est,	qui paratur L.	pradoni		
		restituit l. 25. §. 11.	25. §. 7.	et tenetur solum-		
				modo ad restitu-		
				dum, quatenus locu-		
				pletior factus est. l.		
				25. §. 11. l. 36. §. 4.		
					§. 20.	

§. 20.

Multa quidem variaque adhuc monenda essent, quae
huc pertinerent, sed omnia exhaustire, paginae haec non permit-
tunt. Quodsi vero quis alia legere cupiat, his adire velit *Henr. Brokes* diss. de Litis contestatione malam fidem non inferente. Wit-
tenb. 706. qui tamen non plane omnia exhibet. Si vero usum fori
desideras, cf. *Leyseri* meditatt. ad Pandectas Specim. 83. m. 5. Spec.
94. m. 3. Spec. 99. m. 6. Ne autem omnia, quae superfunt,
silentio praetermissa videantur, breuissima puncta addamus.

- 1) Non ex l. 20. ff. quod met. causa, dubium moueri potest, in-
distincte a tempore L. C. computandum esse, quantum resti-
tui debeat; in hac enim lege oratio est, de eo, quod ad b. f.
possessorem peruenit. Et recte hoc; attamen non sequitur,
ea etiam restituenda esse, quae hoc tempore peruererunt. Ex-
pressè enim in legibus habetur, restituendum esse id, cuius
intuitu aliquis locupletior factus sit, l. 25. §. II. l. 22. l. 40.
§. I. l. 36. §. 4. ff. de her. pet. Non desunt quidem adhuc
leges, quae contrarium statuere videantur, vti §. 2. Inst. de
offic. iud. l. 22. C. de rei vind. l. 35. §. I. ff. de rei vind. l. 4.
§. 2. ff. fin. regund. sed omnes pro substrata materia explicatae,
optime cum sententia nostra conciliari possunt.
- 2) Falso *H. Donellus* XIX. Comm. 14. putat; fatendum esse omni-
no, aut vitium scripturae esse in d. l. 36. §. 4. aut *Paulo* vel
Tribonianus in relatione huius sententiae somnum obrepisse. Non
est, quod *Donellum* refutemus, cum ipsa legum verba iam
in satis ostendunt, saniora esse admittenda. Nec *Wissenbachii*
sententia placet, qui *antinomiam* confitetur, inter textus ad-
ductos, quos desperatae conciliationis vocat.

C

3) Ne-

- 3) Neque opus est inuentione *Haber*i, qui antinomiam istam imaginariam sic tollere studet, ut in legibus 36. §. 4. et l. 25. §. 7. oppositis, regulam eiusque limitationem deprehendat. Regula scilicet est — *post item contestatam fructus percepti sunt restituendi, limitatio: — nisi ante sententiam, cum nec dum constaret, an esset iniustus possessio, sine dolo desirerit esse locupletior*; et pergit — *haec mibi non videntur, inter se pugnare; satum cum aliis iuris articulis conuenirent, videndum foret.* Sed vide sis, quam erronea sint, et absque legibus dicta, quae sequuntur verba. Cf. Praele&t. ad ff. Tit. hered. pet. p. 761.
- 4) Nec delectant, quae *Struuius Exercit.* Tit. her. pet. thes. 55. sq. profert, quem quilibet ipse hac de re adire velit.
- 5) Quod reliquum est, omnino sequeretur Paulus sibi ipsi in l. 40. §. 1. et l. 36. §. 4. ff. her. pet. et simul Vlpiano in LL. citt. contradicere, quod dictu facile est, sed deest probatio.

Iam ad *Vos* conuertitur oratio mea, *Committones Illustrissimi, Generosissimi, Ornatisissimi Humanissimique*, quibus hoc potissimum scriptum dictumne sit. Optime scitis, quos semper cum maxima voluptate appello, quam arduum, quamque graue sit iuris studium, non iis solum, qui tantum limina adierunt, sed etiam, qui, vii aiunt, ad altiora iam ascenderunt. Quam bene igitur isti de legitimarum Scientiarum cultoribus mereantur, qui viam monstrant, qua rectius eo, quo tendunt, peruenire possint, *Vos* sitis iudices. Admonitiones istas, consilia, caureiae, et quae eiusdem generis sunt, quibus veteres olim diligenter initio praelectionum vtebantur, hodie fere negligi, aut adeo exoleuisse, quis est, quem fugiat? prohi dolor. Faciam igitur, quod amicitia *Vestr*a a me postulat, et praeiudicia quaedam iuris studio maxime

noci-

nocitura, nonnullasque admonitiones, quas pretermittere nequeo,
 proferam. Primo igitur Iuris studioſo ipsam disciplinarum cogni-
 tionem, quem cursum studii iuridici vocant, non sufficere credide-
 rim ad profundam, solidamque iuris Scientiam, sed neceſſe eſſe, vt
 diligentissime iuris historia, Antiquitates et Philosophia in iure non
 vniuerso ſolum, ſed etiam, quod maxime ſuadendum, in ſingulis
 partibus, adhibetur, ita, vt capira iuris, quae alias ſatis obſcu-
 ra forent, ex ijs primisque fontibus hauriantur h. e. vt origi-
 nes vicifituidinesque materiarum iuris traſtentur. Qualis earum
 excellentiſſima virtus utiſtasque fit, in omni genere docendi diſcen-
 dique, eum fugere nequit, qui in elegantiorum ICTORUM ſcholis,
 quales ſunt Cuiacianae, Connanianae, Contianae, Briffonianaes,
 Merillianaes, Alteſerianaes, reliquae, praecentibus in Belgia, Pere-
 ziis, Voetii, Noodtiis, Schultingiis, Breuemannis, Bynckershoe-
 kiis, Wielingiis, in Germania, Zafis, Strauchiis, Conradiis, Hei-
 necciis, aliisque illuſtrilorum nominum viris, edoſti ſunt. Is
 autem, qui nunquam in hijs legendis periculum fecit, aut adeo Prag-
 maticorum confabulationibus deleſtatiſ ceteros, quorum nomen iam
 inter omnes eminet, ſpernere conatur, is inquam nunquam adiit Co-
 rinthum. Neque etiam minus taxandus eſt is, quem nulla capit cupi-
 ditas alia, quam Practicos legendi, qui pro ſuo ingenio multa excogiti-
 tarunt, ſub aequitatis ſpecie vendita, quae tamen aut non niſi ab
 altera parte iniquitatem redolent, aut abſque omni legis fundamento
 dicta ſunt. Quin adeo! Homunculi iſti in explicando docendoue,
 rationibus non vſi, nihil aliud agunt, quam oracula produnt, quae stu-
 pidiae ſectarum gregi quaſi ex tripode dicta videntur; imo Rabula-
 rum oculos, puluere ſpreto, obcoecant, ne videant veritatem, atque
 ne diſcernant, quae ex auſtoritate doſtorali et abſque vila legis fan-
 ſtione prolata ſint. Quid inde? Nonne hi euersores iurium, innouato-
 resque magis habendi ſunt, quam praeceptriores? Ampla eſt Doſto-
 rum illorum turba quos nominare taedet, nec iuuat memoriae prodecere
 eos, qui legitimiſ ſcientiis nati non videntur. Longiſtime a me abeſt,
 vt omnes contremem, quos practicarum ſcientiarum notitia del. etat,
 vt potius maximi faciam, quorum ſtudium cum theoriae ſoliditate

praxeos utilitatem temperat. Hae coniunctae ICtum efficiunt, et scholae et vitae natum, factumque.

Non est, quod pluribus coniunctionis huius necessitatem probem, cum coecus esse deberet, qui non intelligeret, nulla iura dare sine legibus, nec applicari quicquam posse ad facta ciuium, nisi quod legum ciuium sanctioni subest. Vnde eluet, quod interpres isti, quos taxamus, magis conditores iuris affectent, quam Doctores. Vtroque scilicet, nec purum theoreticum, nec nudum practicum esse, effugere, omnes decet, qui vitae student, discunt docent. Omnia, quae mox dixi, ita, ut debent, tractare, ardua res est, nec angustioribus spatis in litterarum vniuersitatibus, includi possunt, quam olim, neque unquam aliquid praestitum esse credo eum, qui studiorum suorum rationem ad tres aut adeo ad pauciores annos reducit. Iam vero, si legitimarum scientiarum ambitus tam late patet, ut ad philosophiam, antiquitates et historiam sese extendat, quid dicendum erit, si ad plenam iuris cognitionem singularium materiarum tractationes vberiores necessario requirantur, ita, ut absque illis non plenus veritatum iuridicarum numerus esse possit. Istae illae *Vicissitudines iuris* eodem modo se referunt ad Iuris Systema, quo Chronologia ad Historiam dicitur, quod scilicet sint oculi *Ictorum*. Et recte hoc se habet in disciplina, seu potius legum diuersissimarum coaceruatione, quae per tot secula, inde ab incunabulis populi Romani, vsque ad eiusdem interitum quotidie fere mutatae, pro diuersa temporum et reipublicae conditio ne abrogatae, iterumque antiquatae sunt; atque earum Corpus legere quisquam absque subsidiaris scientiis quomodo possit, ego non video. Hinc illae nugae, hinc ingenii spectra, hinc contrarietates omnes, hinc obscuritates, quibus aliquando laborare quemquam, non est mirum. Quapropter ita Iuris studio diligenter audeundi sunt, qui origines historiasque peculiarium Iurisprudentiae capitum scripsere, nomenque ac laudem sibi comparauere, quorum possimum hic nominare sufficiat ex Antiquariis, *Briffoniūm*, *Spanbeniūm*, *Sigoniūm*, et *Heineccium*, et ex iis qui peculiarem libellum de originibus certarum iuris materiarum ediderunt *Philip-*

pum

pum, Richardum, Schroederum, Antecessorem Regiomontanum, omissis iis, qui in dissertationibus nonnullis de origine huius illiusue iuris ciuilis doctrinae tractauere. Quantum haec omnia luminis studiis hermeneuticis atque criticis, ipfique applicationi legum ad facta afferant, ii videant, qui aliquod tantummodo in legendis huc pertinentibus commentationibus fecerunt periculum.

Quod supereft, non praetermittere possum, aliqua tantummodo *de methodo* differere, qua vni nos sumus in explicanda iuris disciplina. Non defuturos esse credo, qui superfluam, aut adeo ineptam et ridiculam illam iudicent, sed cautele, ne a veritate aberretis. Nolo tritissimum illud recoquere – *qui bene distinguit, bene docet*, quod quidem in omnium ore deprehenditur, sed tamen nec probatur, nec vti deberet, applicatur; neque etiam hic praecepta *artis determinandi*, quae plurimis nostratrum graeca sunt, quae non intelligunt, tradere volo; haec potuis ad Logicam pertinent, artem nostris temporibus fere contemtam ex minimis et leuissimis rationibus, aut adeo abiectam ex praeconceptis opinionibus ab inutili traditione et forma, in praecipienda logica, solita desumtis. Methodum hanc describere, eiusque utilitatem in inueniendis, disponendis et distinguendis quibuscumque veritatibus probare hic non est locus, sed porius omnes ii, quos fugit haec notitia, ad ipsam experientiam qua homunculi eiusmodi, omnis noui aut arrisoribus aut contemptoribus carere solent, reuocandi sunt. Videamus, num distinctius, vel si hoc multo cum sudore praefitum fuerit, an breuius eadem res, quam nos persecuti sumus, tractari possit? Neque etiam vereor, ne nostrum quisquam sit, cui ridiculus videatur modus tractandi, qui nobis placuit; sin vero adsit, illius hominis clamorem non curamus, nec dignus est, qui exaudiatur. Quodsi enim *forma scribendi* offendatur aliquis, is alio modo scribat; non enim meretur, vt soliditatis perspicuitatisque cultor eius gratia a recto tramite discedat. Quod reliquum est, perridicula res esset, formam scribendi consuetam obseruandi caufa, alia maximaque commoda, quae non ad scholam pertinet, abiciere. Me igitur arbitro, mothodus haec *non scholae*, sed *viziae* inuenta est, et applicari debet, vbiunque prodest, modo ca-

ueas,

ueas, ne contra regulas illius methodi pecces, aut adeo pruritus exortatur, qui ridiculos inutilesque facit homines. Quodsi regulam aliquam praescribere volumus, quibus in casibus haec methodus maxime utilis sit, notare velis, — *in omnibus ipsis materiis, ubi plura distinguenda veniunt, optime adhiberi, et adeo necessariam esse.* Hanc ipsam regulam iterum ex praecepsis Logicorum hic deriuare non possum, sed denuo ad experientiam prouoco, qua optime edoceji possunt dubitantes. *Discentibus vero potissimum afferit utilitatem, qui, non adeo ad concinnam et ampliorem meditationem assueti, vno quasi oculo omnem doctrinae ambitum perspicere possunt; intuitu horum igitur ignoscendum erit, si quis ex rationibus grauioribus, quas nos nunc ignoramus, methodum hanc reprehendere velit.* Imo et *docentibus maxime prodest, ad inueniendas veritates easque disponendas, inuentas vero Auditoribus tradendas;* quod cum nostrum sit praestare, non a nobis ipsis alieni futuri sumus, incoepthaque peragemus.

Denique paelectiones nonnullas, *Commilitonibus Illustrissimis, Generosissimis, Ornatisissimis, Humanissimisque offerre volui,* et quidem iuridicas, Hor. IX. Madihianas *Institutiones Iur. Civ.* explicabo, h. X. et II. *Digesta* praeeunte Ludouici interpretabor, h. XI. *Ius Naturae*, Dariesio duce, exponam, h. IV. vero, gratuitas *examinatorias* e Digelis offero die Lunae, Marris, Louis et Veneris; *disputatorias* die Mercurii eadem hora. *Philosophicas* H. I. publice, vnica per hebdomadem die Lunae, *Historiam Iuris Naturalis* tum dogmaticam tum litterariam tradam, nemine auctore, h. III. *logican* secundum Viam Dariesii praincipiam. Neque etiam *priuatissimas* paelectiones in *Geometriam practicam*, cum iam absint nonnulli, qui audiant, indicari praetermittam. *Vos* itaque humanissime rogo, *Commitentes Omnia Ordinum Spectatissimi, ut amicitia Kestra, cui me commendatissimum habeatis, me dignum velitis censere.* Dabam. Halae. d. Xmo Octobr. MDCCCLXXII.

ULB Halle
002 169 592

3



sb



B.I.G.

Pra. 13. num. 19.
1772 2
*Litis Contestatio semper malam fidem
inducat?*

ex sententia Icti Pauli

in L. 40. pr. D. de Hered. Petit.

A.D.

COMMILITONES HONORATISSIMOS

A

IOANNE MELCHIORE GOTTLIEB
B E S E K E

I. V. AC PHIL. D. REGIAE SOCIET. VIADR. SODALL.



HALAE
OFFICINA HENDELIANA.

